IDEM SPERATÆ PACIS PRÆSAGIVM

R. P. VITALIS THERONVS SOCIETATIS IESV, PARIBVS ADVERSVS RELIGIOSVM

BEATISSIMÆ VIRGINIS SINE MACVLA CONCEPTÆ CVLTVM VOTIS, SIC EXPLICABAT.

SANCTISSIMVS PATER, ET DOMINVS ALEXANDER PAPA SEPTIMVS, QVI ERAT ANTEA, FABIVS CHISIVS.

ANAGRAMMA.

QVARTVS E SENIS PAPA DEI MATRI CHARISSImus, ipsi labem Adae non fuisse statuet: Tunc pax.

SIC erit & foeta, quæ Virgo matris in alvo
Protinus à primo subeuntis origine vitæ
Tot a salutari speciosi Solis amictu
Splenduit, & nulla patriæ fuligine culpæ
Deformata, nouam mundo dedit aurea lucem
Perpetuam terris etiam dabit agnita pacem:
Ac simul vt culpæ genitalis pura coletur,
Discordes populos sociali fœdere junget:
Sic sperare jubent, quæ vocibus omina versis,
Fatidicæque tuo constant in nomine sortes:
Magne CHISI, quartum claris Decus addite Senis,
Et mundi Dominæ Caput idem, & gloria Romæ,
Si quem principio meruit concepta decorem
Asseris, & fædo genitam sine crimine dicis,
Ergo, Quirinali frontem Tibi cinge Tiara:
Et, dictante Deo, sella sublimis eburnà,
Vnde sacræ manant responsa fidelia legis,
Conceptam sine labe doce laudare Mariam:
Insuper, & si quis PLACITO parere recuset,
Argutisque pias offendat litibus aures,
Exere districtum decreti vindicis ensem,
Dilectusque Dei Matri; qua condere leges
Majestate potes, sontesque ferire, labora:
Qualis Alexander ferro præscindere nodum,
Quem male nexarum stringunt ænigmata vocum.
Hoc Italæ gentis pietas, hoc diues Iberus,
Germanusque potens armis, & Gallia Princeps
Supplicat, & Venetùm Turcis exercita virtus,
Feralique recens attrita Polonia bello,
Et totus poscit lacbrymis manantibus Orbis.

A. M. D. G.